

mento, de B. M. V. cum cantu, fundatæ seu relictæ, et ordinatæ a benefactoribus, cantari non possunt in duplicibus, aliisque diebus duplicia excludentibus, sed cantari debent missæ de festo occurrente cum applicatione sacrificii, sicque satisfieri, et benefactorum mentem impleri resolvit, non obstante quacunque consuetudine in contrarium, quam abusum esse declaravit sac. Rit. Congr. in Ruremunden. 24 Julii 1683, apud Henricum Pisarr. in *Exposit. Rubricar. Missal. Roman.*, part. 1, tit. 4, *De missis votivis*, sub n. 8, et Merati, *loc. cit.*, n. 463.

(37. An missæ votivæ dici possint de beatis nondum canonizatis, variant doctores; affirmativam sententiam tenent Castropalao, tract. 3, *De fide*, disp. 1, punct. 3, § 5, n. 7; Quintanadvenas, in *Theolog. moral.*, tract. 7, singul. 5; Megalius, in *Promptuario*, verb. *Canonizatio*; Tamburin., opuscul. *De sacrific.*, lib. II, cap. 6, § 8; Pasqualig., tom. I, *De missa sacrific.*, quæst. 277, n. 3 et sequent., et alii ab ipsis citati volentes posse dici missas votivas de dictis beatis a quibuscunque sacerdotibus in quibuscunque ecclesiis, et quibuscunque diebus, in quibus sint permissæ missæ votivæ, quia eo ipso, quod Sedes Apostolica concessit posse recitari missam de aliquo beato, quilibet recitans missam quacunque die, et in quacunque ecclesia in honorem dicti beati, id facit auctoritate Sedis Apostolicæ, quæ abstulit impedimentum relatum in cap. 1, *De reliquiis et veneratione sanctorum*, ubi cavetur neminem esse venerandum sine auctoritate Apostolicæ Sedis.

(38. Negativam autem defendunt Quarti, in *Rubr. Missal.*, part. 1, tit. 4, dub. 6; Bissus, *lit. M.*, n. 231, § 26; Guyetus, l. IV, c. 21, qu. 2; Merati, t. I, tit. 5, § 2, n. 16, et alii dicentes non posse in honorem beati nondum canonizati dici missam extra diem assignatam, vel ab aliis personis, vel in aliis ecclesiis non expressis in diplomate beatificationis; asseruntque hanc sententiam communiorem esse et veram. Imo Quarti, *loc. cit.*, et alii volunt esse communem. Et ratio est quia ex cit. cap. 1, *De reliquiis et veneratione sanctorum*, nemini licet aliquem venerari cultu publico absque licentia Sedis Apostolicæ; in nostro autem casu non est concessa licentia, nisi determinatis personis, et pro diebus et locis etiam determinatis, adeoque non licet prædictos limites excedere; alias, si liceret, frustra et inutiliter apponeretur prædicta determinatio et limitatio personarum, dierum et locorum, quod non est dicendum; tum quia vis privilegii seu concessionis non pendet solum a causa, sed præcipue pendet a libera voluntate concedentis, qui non intendit concedere, nisi id quod exprimit, adeoque in casu nostro non potest dici missa, neque ab aliis personis, neque in aliis diebus in bulla non expressis, quia non licet excedere, præsertim in missa, limites verbales indultorum Sedis Apostolicæ, ex decreto sac. Rit. congreg. 3 Octobr. 1653, relat. inter. *Resolutiones sac. Congr.* (39. Quæ sententia, ut conformior

decretis et menti Sedis Apostolicæ, est tenenda. Et ad summa non posset sequi prima sententia quoad hanc partem, nempe posse dici missas votivas de beatis non canonizatis ab illis personis quibus a Sede Apostolica est concessa de dictis beatis missarum celebratio, quia tales personæ, maxime in locis concessis, non viderentur exhibere illis cultum diversum ab eo quem concessit Sedes Apostolica; sicque non viderentur contravenire decretis et menti dictæ Apostolicæ Sedis, nisi forte talis concessio esset expresse restricta ad solam eorum diem festivam.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(40. Quæri hic potest an missæ assignatæ certis diebus aut festivitibus possint in aliis diebus tanquam votivæ celebrari?

(41. Missas de comm. celebrari posse per annum in honorem eorum sanctorum, de quibus licet missas celebrare, non est quod controverti queat, idque quia cum sint eæ applicabiles pluribus sanctis, ita etiam pro quolibet tempore applicari possunt.

(42. Quinimo id ipsum locum habet quoad sanctos quorum missa in Missali est propria quoad aliquas preces, propterea quod ita ea est ordinata ad celebritatem illius sancti, ut convenire etiam possit cuicunque commemorationi ipsius, qualis est quæ sit in missa votiva. *Vide* Alcozer., tract. 1 *Cærem.*, gloss. 14; Castal., lib. II *Cærem.*, sect. 9, cap. 4, n. 1.

(43. Difficultas itaque est de missis dierum mobilium, festorum B. M. Virginis, et similitus. Hasce autem missas tanquam votivas celebrari haud posse, communiter præter mox allegatos tenent Gavant. in *Rubr. Missal.*, part. IV, tit. 17, n. 8; Quarti, in *Rubric. Missal.*, part. I, tract. 3, dub. 5; Avers., quæst. 11, *De eucharistia*, sect. 12; Pasqualig., *De sacrificio missæ*, t. I, quæst. 248, n. 2.

(44. Quo fit ut pro missis hebdomadæ majoris erit celebranda missa de passione, pro missa Pentecostes votiva de Spiritu sancto, eo quia hæ missæ institutæ principaliter sunt pro illa celebratione, adeoque non congruunt extra occasionem ipsius; Pasqualig., *De sacrific. missæ*, tom. I, quæst. 248, dict. n. 2.

(45. Ex hac autem communi opinione plura sequuntur: (46. 1° quod non possit celebrari missa votiva Assumptionis B. M. Virginis, aut alterius festivitatis, sed celebranda sit votiva posita in Missali juxta congruentiam temporis ibi assignatam. (47. 2° quod si celebranda sit missa votiva Nativitatis Domini, celebrari ea debeat, quæ celebratur infra octavam, et omittenda sint ea quæ non congruunt temporis in quo recitatur, ut esset *Alleluia*, et addendus esset tractus qui esset proportionatus. (48. 3° quod si petatur celebratio missæ votivæ S. Petri, aut S. Pauli, erit celebranda missa votiva apostolorum. (49. 4° quod ubi petitur missa votiva, quæ non debet celebrari; et in Missali non adest votivæ correspon-

dens, celebranda erit quæ currit illo die; Pasqualigo, *loco citato*, n. 5, et plur. seqq.

ARTICULUS XIV.

De observandis pro missis de Requiem, et de missis quas vocant D. Gregorii.

SUMMARIUM.

1. Missæ privatæ de Requiem non possunt celebrari omnibus illis diebus quibus non possunt celebrari missæ votivæ. — 2. Missæ privatæ de Requiem non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum. — 3. Et neque privatæ missæ de Requiem possunt celebrari etiam præsentem et insepulto corpore, in quocunque duplici, vel quacunque die quæ prohibetur fieri officium duplex. — 4. Missa solemnis de Requiem, præsentem corpore, potest cantari in omnibus Dominicis et festis de præcepto, præterquam in solemnitatibus primæ classis: et triduo majoris hebdomadæ, ac die S. Paschæ prohibentur etiam exsequiæ, et quocunque signum defuncti, sed officium et preces recitantur privatim. — 5. Anniversaria de Requiem, aut de tertia, septima, et trigesima die non possunt in festo de præcepto cani, ne quidem solemniter; bene tamen pro implenda voluntate testatorum in festo duplici, quod non est de præcepto. — 6. Imo, anniversaria et missæ de Requiem, quæ ex dispositione testatorum cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies incidit in festum duplex majus; non tamen in festo duplici secundæ classis. — 7. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto, nam in hoc casu prædicta missa erit differenda. — 8. Missæ in festo duplici celebratæ in altari pro animabus perpetuo privilegiatæ, et in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis etiam juxta formam privilegiorum. — 9. Decretum extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiatæ, ac proinde missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrantur, suffragantur, ac si celebratæ fuissent pro defunctis. — 10. Insuper missæ celebratæ de festo corrente in altari privilegiatis in diebus, quibus non licet missas de Requiem celebrare, habent eandem vim et indulgentias, perinde ac si essent celebratæ missæ defunctorum. — 11. Adducitur ad id constitutio Alexandri VII. — 12. Adducitur ad id constitutio Clementis IX. — 13. Adducitur ad id constitutio Innocentii XI. — 14. Adducitur ad id novissima resolutio sac. congregat. Rit. Urbis et Orbis, specialiter approbata a Clemente XI. — 15. Dies tertia, septima, et trigesima numerantur a die datæ sepulture. — 16. Ante sepulcrum die tertia, septima, et trigesima celebratur missa de die obitus, sive depositionis. — 17. Si dies tertia, septima, trigesima, aut anniversaria incidat in diem prohibitam, potest transferri in diem sequentem. — 18. Imo, si dies prohibita non sit ex magis privilegiatis, et festum de præcepto, ad implendam testatorum voluntatem potest cani missa solemnis de Requiem die tertia, septima, et trigesima, etiamsi sit festum duplex, non de præcepto. — 19. Et pro anniversariis quotannis adimplendis potest etiam cani in duplici majore. — 20. Missæ in die commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet tam in genere pro omnibus, quam in specie pro aliquibus defunctis. — 21. Durante expositione ss. sacramenti non potest celebrari missa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente testa-

toris, sive anniversario satisfaciendo, licet currat officium hujusmodi missas admittens. — 22. An, quomodo, et quando liceat ministrare eucharistiam in paramentis nigris, et in missis defunctorum, ad n. 23-24. Triginta missæ S. Gregorii unde ortum habuerint, et ob quam causam in devotionem et praxim fidelium devenerint. — 25. Istæ triginta missæ non sunt prohibite, sed solum quædam aliæ pro vivis, et defunctis falso divo Gregorio imputatæ, et a sacra congregatione non approbatæ. — 26. Hæ triginta missæ non est necesse, quod omnes celebrentur ab uno et eodem solo sacerdote. — 27. Nec necesse est quod omnes illæ triginta missæ sint de Requiem. — 28. Requiritur autem quantum fieri potest, ut istæ triginta missæ sint continuæ et non interpolatæ. — 29. Et dato, quod sacerdos ad illas celebrandas obligatus, ex decencia et honestate pro aliqua die vellet missam omittere, sic permitte Ecclesia, tunc posset illas continuare per celebrationem alterius sacerdotis. — 30. Non interpolantur tamen per omissionem celebrationis illis diebus quibus per Ecclesiam vetitum est celebrare. — 31. Cavendum autem est ne hæc continuatio missarum per triginta dies fiat aliquo modo superstitioso, ponendo vim in tali præciso numero, aut in hac vel illa conditione. — 32. In missis defunctorum nequeunt pulsari organa, et alia instrumenta musica. — 33. Pax quare non detur in missis defunctorum. — 34. Adduntur varia decreta usque ad num. 69, — 70. Alia ad rem, ad n. 91.

(1. Missæ privatæ de Requiem non possunt celebrari omnibus illis diebus quibus non possunt celebrari missæ votivæ, cum supra adducta decreta pro missis votivis militent etiam pro missis de Requiem non celebrandis in illis diebus exceptis. (2. Missæ privatæ de Requiem non possunt dici in festo duplici, etiamsi esset tale duplex festum translatum; sac. Rituum congregat. 5 Augusti 1662. (3. Et neque privatæ missæ de Requiem possunt celebrari etiam præsentem et insepulto corpore in quocunque duplici, vel quacunque die, quæ prohibetur fieri officium duplex; sacra Rituum congreg. 10 Junii 1693: et expresse prohibuit sub gravibus pœnis Alexander VII, 5 Augusti 1662, ejus decretum confirmavit et innovavit Clemens XI, 10 Aug. 1706. (4. Missa autem solemnis præsentem corpore potest cantari in omnibus Dominicis et festis de præcepto, præterquam in duplicibus primæ classis: sacra Rit. congreg. 5 Junii 1698; 23 Augusti 1704; 29 Septembris 1714, 10 decembris 1718, et 11 Augusti 1736. Et triduo majoris hebdomadæ, ac die S. Paschæ prohibentur, etiam exsequiæ et quocunque signum defuncti, sed officium et preces recitantur privatim ex cit. decretis. *Vide* tamen infra in *Supplementis*, ubi varia alia adducuntur ad rem observanda.

(5. Anniversaria de Requiem, aut de tertia, septima, et trigesima die non possunt in festo de præcepto cani, nequidem solemniter; bene tamen pro implenda voluntate testatorum in festo duplici, quod non est de præcepto; sac. Rituum congreg. 7 Sept. 1607 et 20 Junii 1626. (6. Imo anniversaria et missæ de Requiem, quæ, ex dispositione testatorum, cum cantu sunt quotannis celebrandæ, possunt cantari, etiamsi ipsorum obitus dies incidit in festum duplex majus;

sacr. Rit. congr. 22 Novembris 1664, et Alexander VII, 22 Jan. 1667, decret. incipient. *Credita*. Non tamen in festo duplici secundæ classis; sac. Rit. congreg. in *Col-len.* 5 Julii 1699. (7. Cum primum habita fuerit notitia de obitu alicujus personæ, cantari poterit missa de Requiem, etiam in festo duplici, quod non sit de præcepto, nam in hoc casu prædicta missa erit differenda; 4 Maii 1686.

(8. Missæ in festo duplici celebratæ in altari pro animabus perpetuo privilegiato, et in quo proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ essent missæ de Requiem ex obligatione, suffragantur ac si celebratæ fuissent pro defunctis, etiam juxta formam privilegiorum; 22 Januar. 1667.

(9. Decretum extenditur etiam ad altaria, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus privilegiata; ac proinde missæ de festo duplici, quæ sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrantur, suffragantur ac si celebratæ fuissent pro defunctis; 23 Septembris 1669. (10. Insuper missæ celebratæ de festo corrente in altaribus privilegiatis in diebus quibus non licet missas de Requiem celebrare, habent eandem vim, et indulgentias, perinde ac si fuissent celebratæ missæ defunctorum, ut expresse statuerunt tres Summi Pontifices, scilicet Alexander VII, die 22 Januarii 1667, in sua constitutione incip. *Credita*; Clemens IX, die 22 Septembris 1669, in sua constit. incipient. *Cum felicitis*, et Innocentius XI, die 4 Maii 1688, in sua constit. incip. *Alias*, quæ omnes, ut præ oculis a cunctis habeantur, ad tollendas omnes dubietates per extensum hic adducuntur.

« ALEXANDER PAPA VII.

(11. « *Credita* Nobis cœlitus dispensationis officium salubriter exsequi, adjuvante Domino, jugiter satagentes, et quam plurima dubia in diversis mundi partibus orta, et in congr. venerab. Fratrum nostrorum Sanctæ Rom. Eccles. cardin. sacris Ritibus præpositorum deducta, occasione decreti ejusdem congregationis die 5 Augusti 1662, editi, ac a Nobis probati, de non celebrandis missis de Requiem in duplicibus, tollere atque dirimere cupientes, de memoratorum cardin. consilio, auctoritate Apostolica tenore præsentium approbamus in primis aliud decretum prædictæ congregat. editum in *una Novarien.*, die 22 Novembris 1664, quo declaratum fuit, anniversaria, et missas cantatas de Requiem relicta ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, non comprehendi in dicto decreto.

« Ulterius quoad altaria perpetuo privilegiata, et in quibus proinde quotidie etiam in duplicibus celebrandæ sint missæ de Requiem ex obligatione, auctoritate et tenore prædictis declaramus, per celebrationem missarum de festo corrente satisfieri

dictis obligationibus, et suffragari cum eisdem indulgentiis perinde ac si essent celebratæ missæ de Requiem ad formam privilegiorum; salva tamen semper in præmissis auctoritate congreg. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere. (12. Non obstantibus, etc.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 22 Januarii 1667, pontificatus nostri anno duodecimo. »

Declarationem Alexandri extendit Clem. IX ad altaria temporaneo privilegio decorata, quoad missas in eis etiam ex fidelium devotione celebrandas, ut sequitur :

« Cum fel. record. Alexand. Papa VII prædecessor noster dubia in diversis mundi partibus occasione decreti congreg. tunc existentium S. R. E. card. sacris ritibus præpositorum, die 5 Augusti 1662 emanati, et ab ipso Alexandro prædecessore approbati, de non celebrandis missis defunctorum in festis ritus duplicis, exorta, dirimere cupiens, aliud ejusdem congreg. decretum in *una Novariensi*, die 22 Novembr. 1664, editum approbaverit, quo declaratum fuerat anniversaria et missas defunctorum cum cantu ex disposit. testatorum quotannis, recurrente ipsorum obitu die celebrandas; tametsi dies obitus hujusmodi in festo ritus duplicis majoris incideret, non comprehendi in primo dicto decreto; ac ulterius quoad altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritus duplicis, celebrandæ essent missæ defunctorum ex obligatione, declaravit, per celebrationem missarum de festo corrente satisfieri injunctis obligationibus, et indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas animabus fidelium defunctorum in purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent missæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum, et alias pro ut in ejusdem Alexandri prædecessoris litteris desuper in simili forma brevis die 22 Januarii 1667 expeditis, quarum tenores præsentibus pro plene, et sufficienter expressis et insertis haberi volumus, uberius continetur. Cumque (sicut ad aures nostras pervenit) etiam dubitetur utrum dictarum litterarum dispositio, quoad altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, et ad quæ missæ non ex obligatione sed ex sola fidelium devotione celebrantur, locum habeat; hinc est, quod Nos dubitationes hujusmodi ex injunctæ Nobis cœlitus pastoralis sollicitudinis munere dirimere pariter atque decidere cupientes, de venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Eccles. cardinalium sacris Ritibus præpositorum, qui rem mature perpenderunt, consilio, declarationem a memorato Alexandro prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel lon-

gius tempus, ac non omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, nunc et in futurum, quandocunque privilegiata, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus. Et proinde, ut missæ, quæ ibidem de festo corrente, in quo missæ defunctorum celebrari non possint, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrabuntur, suffragentur ita ut animæ pro quibus celebratæ fuerint, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequantur in omnibus, et per omnia, perinde ac si missæ defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuissent, auctoritate et tenore prædictis concedimus et indulgemus. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere. Non obstantibus, etc.

« Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 23 Septemb. 1669, pontificatus nostri anno tertio. »

(13. Deinde Innocentius XI confirmavit decretum S. congr. Rituum editum super intelligentia declarationum Alexandri, et Clement., quo ad alios quoque dies in quibus, juxta rubricas, missæ defunctorum celebrari non possunt, ut infra :

« Alias postquam fel. record. Alexander Papa VII prædecessor noster per quasdam suas in simili forma brevis die 22 Januarii 1667 expeditis litteras, dubia in diversis mundi partibus, occasione decreti congregat. tunc existentium sanctæ Romanæ Eccles. cardinal. sacris Ritibus præpositorum, die 5 Augusti 1662 emanati, et ab ipso Alexandro prædecessore approbati, de non celebrandis missis defunctorum in festis ritus duplicis, exorta, dirimere cupiens, inter cætera, quoad altaria privilegio Apostolico pro animabus fidelium defunctorum in perpetuum decorata, et in quibus proinde quotidie, etiam in festis ritus duplicis, celebrandæ fuissent missæ defunctorum ex obligatione, declaraverat, per celebrationem missarum de festo corrente satisfieri injunctis obligationibus, et indulgentias per ejusmodi privilegia Apostolica concessas, animabus fidelium defunctorum in purgatorio existentibus suffragari, perinde ac si celebratæ fuissent missæ defunctorum ad formam dictorum privilegiorum; rec. men. Clem. Papa IX pariter prædecessor noster, aliam subinde ortam dubitationem, utrum scilicet dictarum Alexandri prædecessoris litterarum dispositio, quoad altaria pariter quidem privilegiata, sed non in perpetuum, nec pro omnibus hebdomadæ diebus, et ad quæ missæ non ex obligatione, sed ex sola fidelium devotione celebrarentur, locum haberet, similiter tollere desiderans, declarationem a memorato Alexand. prædecessore, sicut præmittitur, editam, ad altaria, ut præfertur, non in perpetuum, sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo, vel aliquibus tantum hebdomadæ diebus, tunc, et in futurum quandocunque privi-

legiata, auctoritate Apostolica extendit, et proinde ut missæ, quæ ibidem de festo corrente, in quo missæ defunctorum celebrari non possent, sive ex obligatione, sive ex sola fidelium devotione celebrandæ essent, suffragentur, ita ut animæ Christifidelium, pro quibus celebrarentur, indulgentias per privilegia hujusmodi concessas, consequerentur, in omnibus, et per omnia, perinde ac si missæ defunctorum ad formam eorundem privilegiorum celebratæ fuissent, eadem auctoritate concessit et indulsit, et alias, prout in ipsius Clement. prædecessoris litteris, etiam in forma brevis die 23 Septembris 1669 desuper expeditis, quarum, et præfatarum Alexand. prædecessoris litterarum tenores præsentibus pro plene et sufficienter expressis, et insertis haberi volumus, uberius continetur. Cum autem postmodum, sicut accepimus, novum circa præmissa excitatum fuerit dubium, videlicet, an supradictæ Alexandri et Clementis prædecessorum declarationes, sibi pariter locum vindicarent etiam in diebus Dominicis, infra octavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes, et Corporis Christi, aliisque diebus, licet a festo duplici non impediantur, adhuc tamen missæ defunctorum juxta ritum et morem Ecclesiæ celebrari nequeunt, quatenus nimirum missæ, quas iisdem diebus celebrare licet, servata cæteroquin dictorum privilegiorum forma, ad præfata altaria privilegiata celebrarentur; Nosque dubium hujusmodi congr. ven. fratrum nostrorum, S. R. E. cardin. sacris Ritibus præpositorum, examinandum commiserimus, ac eadem Card. congr. re mature discussa, nuper suum decretum die 3 Aprilis proximi præteriti, præfatas Alexandri, et Clem. prædecess. declarationes intelligendas esse pro omnibus diebus, quibus, juxta rubricas, missæ defunctorum celebrari non possunt, responderit; hinc est, quod Nos commissæ Nobis cœlitus dispensationis munere fidelium defunctorum animarum in purgatorio existentium suffragiis per amplius consulere cupientes, decretum hujusmodi a memorata cardinalium congregatione editum, ut præfertur, Apostolica auctoritate, tenore præsentium confirmamus et approbamus, illique inviolabilis Apostolicæ firmitatis robur adjicimus; salva tamen semper in præmissis auctoritate supradictæ congregationis cardinalium. Decernentes easdem præsentis litteras semper firmas, validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri ac obtinere.

« Dat. Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 4 Maii, anno millesimo sexcentesimo octuagesimo octavo, pontificatus nostri duodecimo.

« J. F. ALBANUS. »

(14. Circa quæ adest resolutio congregationis Rituum urbis et orbis 15 Septemb. 1714, specialiter approbata a Clemente XI, die 29 dicti mensis sequentis tenoris :

Urbis et orbis.

« Cum occasione Missalis, typis sacra

congregationis de Propaganda Fide summa cura ac diligentia novissime impressi, et prope diem publico usui exponendi, sacrae Rituum congregationi enixe fuerit supplicatum, ut nonnulla ejusdem sacrae congreg. decreta jam alias edita, et approbata, in praedicto novo Missali summam apponi, et imprimi posse benigne concedere dignaretur, videlicet:

« Missae pro defunctis, sive de Requiem in festis duplicibus, contra praescriptum rubricarum Missalis Romani nullatenus celebrari debent. Quod si ex benefactorum institutione missae hujusmodi celebrandae incidunt in festum duplex, tunc, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, in aliam diem non impeditam minime transferantur: sed dicantur de festo currenti, cum applicatione sacrificii, juxta mentem eorumdem benefactorum; die 3 Augusti 1662 approbatum a fel. rec. Alex. VII eadem die.

« Praedictum decretum ab ejusdem fel. rec. Alexandro VII speciali brevi, quod incipit, *Credite Nobis*, denuo fuit confirmatum, ac insuper statutum, idem servandum esse quoad missas in altaribus privilegiatis ex obligatione celebrandas, et indulgentias, per ejusmodi privilegia concessas animabus in purgatorio existentibus, suffragari, perinde ac si celebratae fuissent missae defunctorum. Ac denique declaratum, anniversaria et missas cantatas de Requiem relicta ex dispositione testatorum, quotannis in die ipsorum obitus, etiam in duplici majori contingentis, in praedicto decreto die 3 Augusti edito minime comprehendi, prout antea in una *Novarien.* 22 Novembris 1664, eadem sacra congregatio declaraverat die 22 Januarii 1668, pontificatus XII.

« Deinde fel. rec. Clemens IX eadem sacrae congregationis decreta, alio brevi, cujus initium: *Cum fel. rec.* iterum confirmavit, praedictamque Alexandri VII dispositionem ad altaria, non in perpetuum sed ad septennium, seu aliud brevius vel longius tempus, ac non in omnibus, sed aliquo vel aliquibus tantum hebdomadae diebus, nunc et in futurum quodcumque privilegiata extendit die 23 Septemb. 1669, pontificatus III.

« Tandem proposito dubio, an supra dictae Alexandri VII et Clementis IX declarationes sibi locum vindicarent, etiam in diebus Dominicis, et infra octavas Paschatis, Resurrectionis, Pentecostes et Corporis Christi, aliisque anni diebus omnibus, licet a festo duplici non impediatur, adhuc tamen missae defunctorum, juxta ritum Ecclesiae, celebrari nequeunt, quatenus nimirum missae, quas iisdem diebus celebrari licet, servata caeteroquin privilegiatorum forma, ad altaria privilegiata celebrarentur; eadem sacra Rituum congregatio die 2 Aprilis 1668, praedictorum Pontificum declarationes pro omnibus diebus quibus juxta rubricas missae defunctorum celebrari non possunt, intelligendas esse respondit, ejusque decretum subinde confirmatum fuit a

fel. rec. Innocentio Papa XI speciali brevi, quod incipit *Alias postquam*, dato die 4 Maii 1688.

« Decretum a sacra Rituum congregatione anno 1630, editum, quo permittitur posse in ecclesiis recitari officia et missas celebrari de illis sanctis, quorum corpora, vel reliquiae insignes in eisdem asservantur, intelligendum esse de sanctis duntaxat in Martyrologio Romano descriptis, et dummodo constet de identitate corporis eorumdem, vel insignis reliquiae. Secus vero de sanctis in eodem Martyrol. non descriptis. Quorum tamen corporibus et reliquiis ab ordinariis locorum approbatis debita a fidelibus veneratio adhibenda est, sed absque officio, et missa sub poenis de non satisfaciendo praeccepto recitandi officium, aliisque in constitutionibus S. Pii V contentis, die 11 Augusti 1691. Approbatum a fel. rec. Innocentio XII die 19 Octobris.

« Ad augendam fidelium venerationem erga augustissimum Eucharistiae sacramentum, ejusque cultum in toto terrarum orbe promovendum, prohibitum est celebrari missas votivas, vel pro defunctis infra octavam Corporis Christi; die 21 Junii 1670, eadem die a fel. record. Clemente X approbatum.

« Item prohibitum est easdem missas celebrari infra octavam Nativitatis Domini; in missis vero solemnibus pro re gravi infra eandem octavam celebrandis, dicenda est praefatio juxta rubricam generalem, tit. 12, n. 4, die 25 Septembris 1706, jam a sanctissimo approbatam.

« Re vero in sacra Rituum congregatione ad relationem eminentiss. et reverendiss. domini cardinalis Barberini pluries discussa, et mature perpensa, sacra eadem Rituum congregatio supra dicta decreta, tum ut celebrantium instructioni et usui sint, tum ut nonnulli abusus, qui in aliquibus locis irrepserunt, penitus evellantur, in Missali post rubricas generales apponi et imprimi posse censuit, si sanctissimo domino nostro visum fuerit; die 14 Septembris 1714.

« Factaque deinde per me prosecretarium de praedictis sanctissimo domino nostro relatione, Sanctitas sua sensum sacrae congregationis approbavit, eademque decreta in Missali apponi, et imprimi mandavit die 29 Septembris ejusdem anni 1714.

« F. cardinalis DE ABUDA, praefectus.

« N. M. TEDESCHI, episcopus Liparitanus, sac. Rit. congreg. prosecretarius. »

(15. Dies tertia, septima et trigesima numeratur a die data sepulturae; sic Quartus, *Commentar. in Rubric. Missalis*, tit. 5, n. 3, vers. *Colligitur primo*: La Croix, lib. IX, part. II, n. 514; Gavanti, in *Rubric.*, part. IV, tit. 18, n. 9, quamvis ipse etiam teneat posse dictos dies numerari a die obitus, sumendo pro eodem obitus et depositionis diem. (16. Ante sepulturam, die tertia, septima, et trigesima celebratur missa de die obitus, sive depositionis; idem, *ibidem*. (17. Si dies tertia, septima et trigesima, aut anniversaria incidat in diem prohibitum, potest

transferri in diem sequentem; 27 Septembris 1707. (18. Imo si dies prohibita non sit ex magis privilegiatis, et festum de praeccepto, ad implendam testatorum voluntatem, potest cani missa solemniter de Requiem die tertia, septima, et trigesima, etiamsi sit festum duplex non de praeccepto: ex superioribus citat. decret. 23 Maii 1603, 1 Septemb. 1607 et 20 Junii 1626. (19. Et pro anniversariis quotannis adimplendis potest etiam cani in duplici majore: ex cit. decret. 22 Novembr. 1664, et Alexandri VII 22 Januarii 1667. (20. Missae in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum possunt applicari ad libitum, scilicet tam in genere pro omnibus, quam in specie pro aliquibus defunctis; 4 Aug. 1663. Et iterum sic decrevit ead. sac. cong. in una *Ord. Capuccinorum* 9 Decemb. 1709, apud Joan. Bapt. Pitt, in *brevi tract. De commemoratione omnium fidelium defunctorum*, n. 37. Et sic videtur voluisse etiam Innocent. XI, 30 Septembr. 1679, dum concessit in ditionibus regi catholico subjectis omnibus sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus cujuscunque ordinis, eodem die Commemorationis omnium fidelium defunctorum in quocunque altari celebrantibus « liberationem animae pro qua sacrificium offerrent; » quibus verbis supponit aperte Pontifex, posse illa die applicari missam pro particulari defuncto, ad libitum celebrantis, et sic expresse novissime eadem sac. congreg. Rit. 14 Decembr. 1709. (21. Durante expositione Ss. sacramenti, non potest celebrari missa de Requiem, neque cantari pro adimplenda mente testatoris, sive anniversario satisfaciendo, licet currat officium hujusmodi missas admittens; 2 Decemb. 1684. (22. Nullo modo licere in missis defunctorum praebere Eucharistiam fidelibus illam deposcentibus, decrevit sacra Rituum congreg. 16 Aprilis 1701. (23. Neque administrare in paramentis nigris; 2 Augusti 1701, id est nec tempore celebrationis, nec post, ex declaratione ejusdem sac. congr. Rituum 20 Martii 1711, et confirmata 2 Augusti 1724. Novissime autem, ad tollendas omnes insurgentes difficultates, eadem sac. Rituum congreg. in una *Aquensi Provincia Franciae*, sub die 2 Septembris 1741, declaravit sic: « In paramentis nigris non ministratur Eucharistia per modum sacramenti, extrahendo pyxidem a custodia; potest tamen ministrari per modum sacrificii, prout est quando fidelibus praebetur communio cum particulis infra eandem missam consecratis. »

(24. Circa missas triginta S. Gregorii sciendum est, quod istae ortum habuerunt, ex quo divus Gregorius in *Dialog.* IV, cap. 55, praescripserit abbati Pretioso, ut offerri curaret triginta missas triginta diebus continuis pro monacho Justo, his verbis: « Vade, ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo sacrificium, stude ut nullus omnino praetermittatur dies, quo pro absolutione illius hostia salutaris non offeratur. » Hinc ritus celebrandi has triginta missas

pro defunctis coepit esse in maxima veneratione in Ecclesia Dei, et fideles solent similes missas pro suis defunctis curare, tum ob institutionem tam sancti Pontificis, tum ob varias revelationes, quod illae maxime profuerint animabus, pro quibus oblatae fuerunt. (25. Nec istae missae sunt prohibita, ut falso putarunt aliqui, ex decreto edito a sac. Rit. congreg. die 8 Aprilis 1628; quia in illo decreto prohibuit solum quasdam alias pro vivis et defunctis falso divo Gregorio imputatas, et ab ipsa sac. cong. non approbatas. Istae vero triginta missae a divo Gregorio, uti supra, sic instituta et ordinatae, non sunt prohibita, ut expresse decrevit eadem sacra Rituum congregatio die 28 Octobris 1628, apud Barbos. *De officio parochi*, p. I, c. 11, n. 30. (26. Haec autem triginta missae non est necesse, quod omnes celebrentur ab uno et eodem solo sacerdote, quia divus Gregorius in citatis verbis non dicit « offerre per temetipsum, » sed « offerre stude, » quod aequè fieri potest, vel per se ipsum, vel per alium. (27. Nec necesse est quod omnes illae triginta missae sint de Requiem; aliter non possent esse continuatae, cum intra illas triginta dies continuas mediant Dominicae, et regulariter etiam alii dies officii duplicis, in quibus nequeunt celebrari missae de Requiem ex supra citatis decretis, eo vel maxime quod divus Gregorius dixit solum abbati Pretioso: « Vade, offerre pro eo sacrificium stude; » quod aequè fieri potest sive in missa de Requiem, sive in missa de officio currente, cum solum exigatur applicatio sacrificii, quod illi animae aequè prodest, sive fiat in missa de Requiem, sive in missa de officio currente ex supra adductis declarationibus Alexandri VII, Clementis IX et Innocentii XI. (28. Requiritur autem, quantum fieri potest, ut istae triginta missae, sint continuatae, et non interpolatae, cum divus Gregorius institutor illius ritus expresse dicat « diebus triginta continuis. » (29. Et dato, quod sacerdos ad illas celebrandas obligatus, ex decencia et honestate pro aliqua die vellet missam omittere, sic permittente Ecclesia, tunc posset illas continuare per celebrationem alterius sacerdotis, quod, ut mox diximus, fieri potest. (30. Non interpolantur tamen per omissionem celebrationis illis diebus, quibus per Ecclesiam vetitum est celebrare, ut in triduo majoris hebdomadae: ex decreto sac. Rituum congreg. et Clement. XI, 20 Aprilis 1707, et ejusdem vivae vocis oraculo 8 Aug. 1713, et in feriis sextis Quadragesimae juxta ritum Ambrosianum, in quibus, obstante tali ritu, missae non celebrantur; per omissionem enim celebrationis illis vetitis diebus non inducitur discontinuatio contra institutionem divi Gregorii, cum haec intelligenda sit de continuatione servato ritu Ecclesiae. (31. Cavendum tamen est ne haec continuatio missarum per triginta dies fiat aliquo modo superstitioso, ponendo vim in tali numero praecise, aut in hac, vel illa conditione, ut advertit, et damnat San-